

Nicolaus Schütze Heinrich Schnitler

Disputatio Inauguralis De Sequestratione

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732588545>

Druck Freier  Zugang



Handwritten text in cursive script:
Für dielegen von
im Strickman Gut

R. U. jur. 1649.
Schätze - Schuitler.

DISPUTATIO INAUGURALIS
 DE
 SEQUESTRATIONE

Quam

716

Divino numine feliciter aspirante,
 Decreto & autoritate Magni-
 fici & Amplissimi Jctorum Ordinis
 in inelyta Rostochiensis Academia

P R E S I D E

Viro Amplissimo & Consultissimo


DN. NICOLAO Schützen / J. U. D.
 Codicis Professore, Reverendi Capituli

Lubecensis Syndico gravissimo & p. t. Juridicæ
 Facultatis DECANO spectabili, Mæcenate
 & Præceptore suo pl. honorando,

Pro summis in utroq; jure Pri-
 vilegiis & Honoribus Doctoralibus
 legitimè consequendis


*Publicè in Auditorio majori die 4. Maijboris matuti-
 nis & Pomeridianis examinandam proponit*

HEINRICUS Schütler / Rostochiensis,



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academiæ Typographi
 ANNO M. DC. XLIX.



DEO
PATRIBUS PA-
TRIAE FAUTORI-
BUS ET AMI-
CIS.





INGRESSUS.

Sequestrationis materiam admodum frugiferam, nec omninò facilem, sed in practicâ erroneis opinionibus obnubilatam, attamen quotidianam, & propterea eo magis monente Jcto Gajo in l. 25. ff. de liber. leg. in vita communi attingendam, tradituri; non ab ejus commendatione, quod alias Jctis nostris solenne est: l. 1. ff. de minor. l. 1. ff. de reb. cred. l. 1. ff. de Exercit. a& exordimur; sed potius, ne velut per sylvam ignotam incertis vestigiis incedamus, ab accurata consideratione vocabuli Depositi (cujus Sequestratio audit species l. 6. & 17. ff. Depos.) haud sine summi Numinis devota invocacione, thesin primã mutuamur.

THESIS I.

Dicitur itaq; res deponi I. quando eruitur ac funditus evertitur, sic ædificium deponi pro demoliri dicitur in l. 9. §. 2. ff. quod met. caus. & in l. 4. §. 3. ff. fin. reg. II. quando quis debitum, quod creditor acceptare recusat, propter evitaanda nonnulla incommoda, imprimis ad celerem illum usurarum cursum inhibendum, in præsentia testium consignat, & autoritate judicis competentis in locum publicum vel ædem sacram deponit l. 6. & 19. C. de Usur. III. quando duo sponcione certantes, ea lege rem aliquam certam deposuerit, ut præmii loco victori tradatur l. 17. §. f. ff. de Præscript. verb. Elegans hujus rei exemplum ex Maronis Eclog. 3. depromimus, ubi Damatas ita ad Menalcam.

Vis - ergò inter nos, quid possit uterq; vicissim,

Experiamur? ego hanc vitulam (ne fortè recuses)

Depono; tu dic mecum quo pignore certes. &c.

IV. quando res alicui ex familiarib. custodienda traditur l. 1. in pr. ff. de pos. & quidem ita, ut dominium & possessio rei depositæ penes ipsum.

A

depo:

deponentem maneat. *l. 17. §. 1. ff. eod.* deponenti quæ facultas sit pro lubi-
tu eam revocare. *c. 5. Ext. depos. V.* tandem deponi quid dicitur, quando
res litigiosa apud aliquem à nonnullis in solidum ita deponitur, ut tam-
diu donec lis per sententiam, quæ transivit in rem judicatam, sit sopi-
ta, penes se retineat. *d. l. 6. §. 17. ff. depos. l. 110. ff. de V. S.* quatuor prio-
res deponendi modi nos non tangunt, sed solummodò ultimus, in cu-
jus naturam pro ingenii modulo, aliquanto studiosius investigare libi-
do est.

2. Quia vero in omni tractatione verborum cura prior quam re-
rum esse debet. *Oldend. Clas. 4. act. 24. in pr.* eò quod à vocis cognitione
non raro provehamur in rei ipsius perceptionem. *Scal. Exer. 1. Sect. 1.*
Ex re igitur erit de vocabuli significatione aliquid principio dicere. *l. 1. in
pr. ff. si cert. pet.*

3. Non autem quicquam illorum eorum figmentum, qui Seque-
strum à secundo deducunt, quasi Sequester eos qui rixantur velut me-
dius fecerit & dirimat, rixa enim nihil ad Sequestrem; Suis itaque autori-
bus, figuratas hujus vocabuli acceptiones, veluti à scopo nostro alie-
nas, relinquentes, genuinam Sequestrationis notationem, tanquam
vocis vim & contractus perfectionem dilucidius explicantem, ex Mo-
destini Responso (licet ea Alciato subdura videatur, ut refert *Ceras. lib. 2.
Miscell. c. 2. n. 3. & 4.*) adducimus, Sequestrem nempe ab eo dici quòd
occurrenti aut quasi sequenti eos qui contendunt (res) committitur.
l. 110. ff. de V. S.

4. Nominis definitionem rectè subsequitur definitio rei; Et licet
æque difficile sit, rem aliquam exactè in jure definire, quàm est rarum re-
gulam ex legibus colligere, quæ nullà sui parte infirmari possit, ita ut
perpetuum maneat juridicum illud axioma, omnem in jure definitio-
nem esse periculosam. *l. 211. ff. de R. J.* Nihilominus tamen nostri Juri-
sti in rebus dextrè definiendis admodum sunt assidui, vide *l. 1. §. 2. ff. de
dolo malo: l. 5. §. f. cum l. seq. ff. de Pecul. l. 30. ff. de V. S.* Quare & nos
audentes cum Modestino Sequestrem definimus eum, apud quem plu-
reseandem rem de quâ controversia est, deposuerunt: Et consequen-
ter Sequestrationem seu mavis sequestrum (usus enim hæc vocabula fe-
cit promiscua) nihil aliud esse dicimus, quam plurium litigantium,
ejus rei de qua controversia gliscit, depositum; modò dictus Modestinus
en. d. l. 110. ff. de V. S.

§. Ex

5. Ex præcedenti definitione Genus & differentiam notamus: Sequestratio definitur Depositum, & rectè; Est namq; uti dictum, depositi species l. 6. & 17. ff. *depos.* cum autem depositum sit Contractus realis §. 3. *Inst. quib. mod. re contrah. Oblig.* & quidem juris Gentium, quia ejus origo jus gentium respicit §. 2. *Inst. de J. N. G. & C. l. 5. ff. de J. & J. l. 31. ff. depos.* item, Contractus nominatus, quia privum & ab aliis contractibus distinctum nomen, peculiaremq; contrahendi formam habet & certam solemnemq; actionem producit l. 5. §. 1. ff. *depos. l. 7. §. 1. ff. de Pact.* & deniq; bonæ fidei §. 28. *Inst. de Act. l. 11. ff. & l. 11. C. depos.* merito etiam hæc omnia de Sequestratione affirmamus, cum ars ratiocinandi suadeat, illud etiam speciei tribui, quicquid convenit generi.

6. Quia verò Sequestratio est depositum, Sequester autem ille, apud quem depositio fit, grandem constat illos committere errorem, qui Sequestrem à Curatore bonor: à Mediatore, Arbitro, & Controversiæ compositore, parum aut nihil differre autumant; dic enim sodes, quid Sequester cum controversia aut lite commune habet? aut num lis Sequestratione deciditur vel componitur? neutiquam.

7. Nec minori in hæresi versantur, qui Arrestum cum sequestro conglomerant, aut etiam à Præcepto de non alienando, à Missione in possessionem ex primo decreto, à qua toto tamen cælo distat, Sequestrationem nihil distare differunt, ut doctè tradit: *Coler. de Process. Execut. p. 1. c. 2. n. 61. 64. Gæd. de Seq. poss. & fruct. n. 20. & seqq. Claud. in tr. de jure Sequest. 6. 2. n. 4. & seqq.*

8. Forma quæ Substantiam rei præstat l. 9 §. 3. ff. *ad Exhib. seu*, quod idem, differentia Sequestrationis specifica, in Speciali deponendi modo consistit, qui plurib. in thes. 43 tanquam commodiori loco explicabitur.

9. Verum enim verò, cum is demum benè doceat, qui benè rem distinguit, & veritati (quæ animi est pabulum, finis nostrorum studiorum & solius hominis sola meta *Scal. lib. 2. de Caus. lat. ling. c. 63*) proximus esse dicatur; haud malè & nos cum communi Dd. aula sequestrationem dividimus in Voluntariam seu Conventionalem & Necessariam sive Judicalem, tertiam speciem videlicet Mixtam planè rejicientes.

10. Voluntaria Sequestratio, quæ alias etiam Extrajudicialis dicitur, ex mera partium voluntate, placito & conventionem proficiscitur, l. 5. §. 1. & 2. l. 6. ff. *depos. l. 5. ff. famil. Erctif. Gæd. d. tr. 6. 1. n. 29. Necessa.*

cessaria verò, quæ etiam nonnunquam vocatur contentiosa, Jurisdictionis fit necessitate, & judicis compulsionem, certa ex causa *Dd. ad l. un. C. de prohib. seq. pec. c. 1. 2. & 3. Ext. de seq. poss. & fruct. Clem. c. un. eod.*

11. Non solum autem illa, verùm & hæc re & consensu perficitur, uti docebit *thes. 34. Voluntaria* quidem perfecto *d. l. 6. ff. de pos. Necessaria* vero consensu minùs perfecto sed præsumto & tacito, aut judicis officio, parte utraq; vel alterutra etiam invita *l. 7. C. de Ord. Cog. d. c. 1. 2. & 3. Ext. de seq. poss. & fruct.* nec propterea Contractus naturam statim exuit, nam jus nostrum tacitum & expressum consensum pro pari habet *l. 32. ff. de LL. & coactum etiam voluisse dicit l. 21. §. 1. ff. quod met. caus. l. 22. ff. de rit. nups.* tum enim factum judicis, partis factum repræsentat *Gail. intr. de Arrest. c. 1. n. 20.*

12. Hinc illa Sequela, Sequestrationem Voluntariam, semper ubiq; ac in omni casu esse permissam, rationem insuper damus hanc, quia in cujusvis placito situm, an quis contractum habere vel non habere velit *l. 5. C. de O. & A.* quilibet etenim in re sua liberum habet disponendi arbitrium *l. 21. C. Mand.* ita ut pro lubitu possit omne suum jus retinere, vel omni ei renunciare *l. pen. C. de Pact.* Et hæc Conventionalis adeò est concessa, ut lex ipsa hortetur rem litigiosam in sequestro ponere: Exemplum habes *in l. 5. ff. fam. Ericif.* ubi utilitas suadet, si plures sunt cohæredes, communia hæreditaria Instrumenta habentes, hæc tanquam authentica apud majorem ex parte hæredem, vel etiam quem major pars elegerit, vel incerta sors determinaverit, deponere, & hoc ideo, quia communio plerumq; discordias alit *l. 77. §. 20. ff. de Legat. 2. & immensas sæpè contentiones excitat l. 26. ff. de Servit. Præd. urb.* Aliud exemplum exhibet *l. 5. §. 1. ff. ut legat. seu fideicom. caus. cav.*

13. Antequam autem voluntariam inquirimus Sequestrationem, fugitivo oculo meritò illam aspiciamus quæstionem; Numnè ista conventio toleranda, ut in casum non secutæ solutionis certo die faciendæ, vel ipsemet debitor vel omnia ejus bona sequestrantur? Conventio nem de omnibus bonis debitoris sequestrandis, tanquam actum voluntarium, haud improbamus, cum horum sit dominus, & liberè eis uti & abuti possit *d. l. 21. C. mand. Gail. cap. 1. de Arrest. n. 7.* Hinc famosa illa Instrumentorum clausula; Ut si debitor certa die debitum non solvat, omnia bona in solutum capiantur, sequestrantur: *Bocer. Clas. 2. Dis. 11. n. 39.* Quamvis autem qui omne dicit nihil excludat? *§. 8. ff. de Legat.*

Legat. 3. sanã tamen ex interpretatione ea non videntur obligatã, sine quibus se quis commodè exhibere non potest, ut communiter sunt vestimenta, libri scholaribus, arma militibus *l. 6. ff. de pign. & hypot.* Membrorum autem suorum quia nemo est dominus *l. 13. in pr. ff. ad L. Aquil.* probabilius est dicere, conventionem de ipsius debitoris persona sequestranda, esse planè illicitam; quia alias liber homo capi ac pignori obligari non potest *l. 6. C. que res pign. oblig. vel non poss.* præprimis cum sit instar Pacti Obstagii & obligationis ad carcerem; Obstagiorum autem Pacta propter fœdum abusum à *Daniel. Moh. Semest. lib. 3. c. 30.* traditum, Politicã Imperii constitutione de Anno 1577 tit. 17. Rubr. Von wucherlichen Contracten §. wiewol auch/ prorsus sunt improbata (Cymbri tamen etiam hodiè, mirum in modum hoc pacto ambagibus processus obviant, Wenn sie sich zum Einrieth/Ein lager verschreiben.) Et de persona debitoris supra dicta adeo putantur vera, ut ne quidem illud pactum valeat, si debitor in casum non factæ solutionis, pati vult se dictis, convitiis & calumniis proscindi; quia quemadmodum nemo suorum membrorum, ita nec famæ ac dignitatis dominus censetur, sed lex hujus se dominam profitetur *in l. 2. ff. de LL.* Tantum de Sequestro Voluntario.

14. Ex diverso autem ex *thes. 12.* colligimus, Sequestrationem Necessariam regulariter esse prohibitam, non Canonico duntaxat, sed etiam jure Civili, maximè verò in pecunia. *l. un. C. de prob. seq. pec. & c. 2. Ext. de seq. poss. & fruct.* & quidem hanc præterea ob rationem, quia iniquitatem saperet, ingenuis hominib. liberam de rebus suis disponendi facultatem non relinquere. *l. 2. in f. ff. si quis à par. man.* & quemadmodum nemini absq; causæ cognitione rerum suar. administratio auferenda. *l. 2. ff. de hñ qui sui vel al. jur.* ita quoq; nulli absq; prævia cognitione possessionis suæ grande commodum (quod quantum sit inter alia colligimus ex *l. 2. & 16. C. de probat. t. f. C. de rei vind. §. 4 Inst. de Interdict.*) est adimendum. *Dd. ad l. un. C. de probib. seq. pec.* adde quòd ipsa sequestratio executionem quandam representat s. *t. C. de probib. seq. pec.* præposterum autem esse ab executione judicia incipere vel inde liquet, quia induceretur, ut etiam indictâ causâ quis condemnaretur *l. 58. ff. de rei jud. l. 1. C. de Execut. rei jud.*

15. Nihilominus tamen, ne inde injuriarum nasceretur occasio, unde jura nasci debent *l. 6. C. unde vi. c. qualiter 7. Ext. de accusat. justa ex*

causa lege & canone probata, hic rigor mitigatur. Sedulo namq; curandum, ut res in iudicium deducta vel deducenda sit in tuto, ne re litigiosa absumta, elusoria reddatur sententia, eo ipso dum executioni mandari non potest; quemadmodum enim frustra est omnis actio, quæ non habet executionem *l. 6. ff. de dolo*. ita etiam incassum est sententia si non habet executionem *l. 15. ff. de re jud.* quâ effectu suo destituitur *c. quoad Consultationem 15. cum aliquib. seqq. Ext. de re judic. Gail. lib. 1. Obs. 113. n. 16.*

16. Dantur ergò in iure nostro casus, in quibus etiam judicialis illa regulariter prohibita sequestratio suum demonstrat emolumentum; quænam autem & quot sint illa negotiorum genera aut quinam illi casus, in quibus est permessa, varia est variorum sententia: Quosdam tres aut quinque, nonnullos decem, quindecim alios, alios viginti quinque, cæteros quadraginta, nonnullos denique quadraginta septem fingere casus opera eorum edocent *Clud. tr. de Sequest. c. 5. n. 1.*

17. Cæterùm quia natura novas subinde formas edere deproperat *l. 2. §. 18. C. de ver. jur. enucl.* & multis modis contingere potest, ut aliæ emergant causæ, quæ illi comprehendi non possunt *l. 10. & seqq. ff. de LL.* putamus certum casuum numerum determinari vix posse. Iudicis igitur prudentia probè secum examinabit, sitne causæ Sequestrationis iusta, qua de re oportunius *in thes. 33.* Interim tamen nos frequentiores brevibus ac distinctim ex Dd. proponemus.

18. Primus casus esse potest, quando plures super re quæpiam aut ejus possessione adhuc dum à nullo occupata, sed vacua, litigant (ut si uterq; titulum pro hærede alleget, seq; hæredem esse contendat) partiumq; jura iudici videntur obscura, attamen æqualia; tum iudex, salvo tamen litigantium ulteriori jure, in Sequestro rem litigiosam licitè ponere potest *Coier. de Process. Execut. part. 1. c. 2. n. 109. Menoch. de retin. poss. remed. 6. n. 45. Clud. tr. Sequest. c. 5. n. 5.*

19. Secundus casus est ferè quotidianus, quando nempe lis fortè itidem de vacua & momentanea suboritur possessione, contententesq; sunt in procinctu armorum, ac illis potius quàm per legitimos tramites, litem definire gestiunt, *c. 1. Ext. de seq. poss. & fruct.* tùm etiam propter pacem, populiq; tranquillitatem, tanquam supremam legem, imò propter atrocitiam & homicida evitanda, sequestratio, donec deferbuere exulcerati animi, permittenda videtur, adeò, ut etiam iudex partibus ne quidem petentibus, ex officio rem controversam sequestrare possit; illos enim

enim ad rixam procedere Prætoris autoritas non patitur, quos sus potest jurisdictione compescere. *l. 13. §. 3. ff. de Usufruct. l. 9. C. de transact. Ord. Cam Imp. part. 2. tit. 21. Von der streitigen Poession §. ob auch in obberührten fal.*

20. Tertium casum nobis constituere potest Excessus ille liberalitatis Prodigalitas; cum enim aliàs prodigo sententia seu magistratus decretum, bonorum administrationem, liberamq; testandi facultatem adimat. *§. 2. Inst. quibus non est permis. fac. test. l. 1. 10. §. 16. ff. de Curat. fur. rectè propter maliciosam adversæ partis dilapidationem ac nimiam prodigalitatem ad sequestrationem rei litigiosæ (ne illà consumptâ iudicium vexam sentiat *l. 6. ff. de dolo mal.*) proceditur. *Gail. lib. 1. Obs. 147. n. 3. & obs. 148. n. 2.* Huc refer quòd etiam dotis sequestratio recte peti decerniq; possit, quando uxoris exilio mentis percussæ (aut etiam sanæ, si potius sequestrationem quàm repetitionem dotis præoptaverit *Coler. tr. de jure Sequest. cap. 5. n. 23.*) maritus rerum dotalium gurges & vorago existit, adeò ut metus sit eum haud solvendo fore, vel totam dotem consumpturum *l. 22. §. 2. ff. solut. mat.* iniquum enim esset hoc in passu dotem (cum proprium sit uxoris patrimonium *l. 3. §. 5. ff. de minor.*) apud prodigum maritum permanere, quamdiu uxorem furor non dereliquerit, præprimis cum bonum publicum dotes in vado esse suadeat *l. 1. §. 2. ff. solut. mat.**

21. Quartum casum inducere potest, nulla immobilia aut non multa & pretiosa mobilia possidens, & insuper de fuga suspectus debitor rei mobilis. *l. 7. §. f. ff. qui satisd. cog.* quod in tantum procedit, ut etiam ipse nequam fugitivus, si in mora periculum esse apparet, propriâ autoritate, contra regulas juris *l. 146 ff. de R. J. capi,* & quoad Res cum creditore compositæ sunt, detineri possit *Gail. lib. 2. obs. 44.*

22. Quintus Casus cernitur in puella, quam corrivales ambiunt, & uterq; sibi ab ea matrimonium promissum, non sine omni fundamento altercatur, ne igitur alter, furore amoris percitus, in alterius præjudicium, consensuale vinculum carnali copulâ corroborare possit, sponsa dubia, donec lis sententiam definitivam nacta fuerit, cæteris paribus, sequestrari potest *c. cum locum Ext. de Spons. & marrim. Gail. lib. 3. obs. 112. n. 15. & 16.*

23. Sextus casus sibi locum vendicat in virgine, Sponso ad matrimonium agenti, exceptionem metus objiciente; quod nimirum vel per
ipsum

ipsum Sponsum, vel etiam parentum minas citra voluntatem consenti-
te coacta fuerit, hæc enim donec causa legitimè decisa, apud honestam
aliquam matronam, aliamve piæ famæ personam est sequestranda. *d. c.*
cum locum Ext. de sponsal. & matrim. c. five 33 q. 2. Gail. lib. 2. obs. 45. n. 7.

24. Septimo loco hic potest poni casus, si ob spretum patris con-
sensum, pater sponsæ plenis jam nubilis annis, & sponsus dissentiant,
parensq; prægnantes dissentienti causas allegat, procus verò contrà il-
las impugnat, tum enim propter dubium litis finem, sponsa litigiosa
penes sacerdotem venit rationabiliter sequestranda *d. c. cum locum Ext.*
de Sponsal. & matrim. Et in posito casu Sequestrationem in Consistorio
nostro Rostochiensis aliquando decretam fuisse, testatum facit *Clud. in*
tr. de jur. sequest. c. 1. n. 49.

25. Octavo, hisce casibus annumerari potest sequens; ut si conju-
x de intolerabili conjugis sævitia, simmanivè crudelitate, imò vitæ discrimi-
næ timeat, tum etiam propter capitale hoc mariti odium, uxor de-
ploratæ conditionis, custodiæ piæ matronæ committenda *c. ex transmis-*
sa & c. literas §. f. Ext. de rest. spol.

26. Nonus casus in sequenti cernitur negotio, quando videlicet ab
executione sententiæ (quod etiam si non regulariter, certis tamen casu-
bus est permillum *Dd. in l. s. C. quor. appell. non recip.*) quæ propter non
interpositam intra decendum appellationem transit in rem judicatam,
est appellatum. *Aut. hodie C. de appellat.* tum enim, licet fugæ & deco-
ctionis suspicio absit, tamen fructus rei litigiosæ, dum pendet appella-
tio, veniunt sequestrandi *d. l. s. C. quor. appell. non recip. Gail. lib. 1. obs.*
147. n. 8. Cum enim sententia vim judicati consecuta sit, præsumtio mi-
litat, executionis morandæ causa saltem fuisse appellatum, ut nimirum
pendente appellatione frivole appellans, moratoriis ambagibus execu-
tionem tardare, fructus percipere & in detrimentum appellati consu-
mere possit, *c. suscitata §. ne verò per, Ext. de in integr. rest.*

27. Decimus casus, quo Sequestratio necessaria permilla videtur
esse potest, quando legitimè à sententia definitiva, super beneficio spiri-
tuali lata, est appellatum, Tum quoq; id ipsum una cum fructibus seque-
stri committi potest, Hic enim victor, qui sententiam obtinuit, præ-
sumtionem pro se habet, victum canonicè promotum non esse, sed po-
tius Ecclesiam velle spoliare, *Clem. un. de seq. poss. & fruct.* Secus est, si
condemnatas per triennium placidus ac pacificus fuerit possessor, Hoc
enim casu potius tuendus est quam turbandus, *God. d. tr. in ax. l. c. 3 n. 10.*

28. Undecimus casus in famoso illo consensuali contractu Emptionis venditionis contingere potest; Nimirum si duo illa hujus negotij substantialia, pretiū aut merx, commodè à contrahentibus præstari nequeant, & alter alterum sublestæ fidei hominem existimet, ita ut hunc suspectæ fidei scrupulum iudicio removeere necesse habeant, penes tertium itaq; interim, donec summarè res sit decisa, tam pretium quàm res vendita erit deponenda *Clud. tr. de jur. Sequest. c. s. n. 69.*

29. Duodecimò controversia, inter dominum & colonum de dominio rei orta, Sequestrationis remedium quoq; suadere videtur quoad provenientes fructus, si nempe colligans Colonus cautionem, de restituendis illis præstare abnuat *l. 20. C. de agric. & cens.* Huic videtur, contradicere *l. 25. C. de locat. Cond.* Conciliationem habes apud *Clud. d. tr. e. s. n. 26.* Aliam apud *Gæd. d. tr. de seq. poss. & fruct. in c. 2. n. 33 & seqq.*

30. Decimotertiò etiam nobis singularem casum constituunt servi ad libertatem proclamantis res peculiares, cujus dominus in quasi servitutis possessione est, *l. f. C. quib. ad lib. proclam. non lic. l. 1. §. 1. C. de assert. tol.* Cùm enim favore libertatis (quam nemo bonus nisi simul cum anima amittit *Salust. de Conjur. Catil.*) benè multa, & quidem contrarationem juris, tam prudentum responsis *tex. est in l. 24. §. 10. ff. de fidei. commis. libert.* quàm Principum constitutionibus *tex. est in l. 14. C. d. l. sint* introducta ac recepta, nec hic favor iste amplius cessare, & peculium servi ad dominum transferri, sed stante lite, penes tertium sequestrari debuit. *d. l. f. C. quib. ad libert. procl. non lic. l. 1. §. 1. C. de Assert. tol.* Supra positus autem casus, quia servitus antiqua nostra à repub. recessit, hodiè à Dd. ad filios & monachos (malè verò ad Vasallos) si sc. de eorum statu agatur, rectè extenditur; Nam ut servus domino, ita filius æq; quoad profectitium peculium patri omnia *§. 1. Inst. de stip. serv. §. 1. Inst. per quas pers. cuiq; aeq. l. 45. ff. de V. O. & Monachus, quia servis æquiparatur, Monasterio acquirit quicquid acquirunt, c. quod à te. Ext. de Cler. Conjug.*

31. Tandem etiam judicialis sequestratio locum habet in bonis, contumaciter sprete citatione in iudicio non comparentis, præprimit autem in iis, de quibus controversitur *c. ex literis Ext. de dolo & contu.* si enim iudex ob exosam contumaciam partem præsentem ex primo decreto in possessionem immittere valet *c. quoniam frequenter. c. sue*

B

Ext,

Ext. ut lit. const. l. 15 §. 16. ff. de dam. infect. quid hic impediret, quo minus judici, propter rei conventi contumaciam, ejus bona in sequestro ponere, liberum sit relictum, cum Sequestratio non tantum inferat præjudicij, quantum in bonorum possessionem missio *c. Ex litteris n. de dol. & Contum.* Tralatium enim est nostro in jure, illi licere multò magis quod minus est, cui licet quod plus est *c. cui licet Ext. de R. J.*

32. Tantùm de famosioribus necessaria sequestrationis casibus, in quibus tamen non ex quadam præcipitatione (quæ noverca audit justitiæ in *Clem. 2. vers. verum quia: de sent. & rejudic.*) sed juxta legum & canonum præscripta cautè judici est procedendum, & quidem frequenti viâ.

33. Primo ut pars adversa legitimè citetur; Citatio enim est principium instituendarum actionum §. 3. *Inst. de pan. tem. litig.* cujus omisio (nisi periculum sit in mora) totum alias processum vitiat, *c. 1. Ext. de caus. poss. & propr. c. 11. quoniam contra. Ext. de probat. 2.* ut creditor judici fidem faciat de liquido & nullis ambagibus innodato credito, ob quod Sequestrationem poscit, nudis verbis enim afferenti, rem ita vel ita sese habere, discretus judex fidem non habet *c. ut circa. de Elect. in 6.*
3. Ut causa ex qua Sequestratio petitur, ab actore, quod nempe sit justa, probetur; pro reo enim pugnat regula illa approbata, omnium rerum Sequestrationem non tantum jure Canonico, sed etiam Civili esse prohibitam; huic igitur regulæ tamdiu standum, donec probetur contrarium à regula exceptum *Dec. ad l. 1. ff. de R. J.* quare actor, antequam regula officium perdat, necesse habet fallentiam ostendere & causam esse justam per argumenta demonstrare *c. pen. Ext. de dilat. 4.* Etiam causæ cognitio tam à parte actoris, quàm rei in decernenda hac Sequestratione, est oppidò necessaria, videtur enim ex jure Divino descendere juxta *Abb. in c. 1. de caus. poss. & fruct.* & eapropter à supremo quoq; Principe & Summo Pontifice, si sententia vitio carere debet, ne utiquàm intermitterenda *c. Deus omnipotens. 2. q. 1. c. quæro 6. q. Mascard. de Probat. Concl. 276. n. 21.* Juramentum autem Calumniæ (cujus Sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compefcitur *l. 1. C. de juram. Calum.*) non tam necessariò ut Citatio, sufficiens causæ probatio &c. requiritur, sed judex judicabit, quando de Calumnia est jurandum, alias juramentis cum Lysandro non ludendum ut astragulis.

34. Causa efficiens Sequestrationis remota quemadmodum pœnè

nè omnium aliorum contractuum est jus Gentium §. 2. *Inst. de J. N. G.*
C. Et quia hic, uti in omnibus contractibus, consensus partium ne-
cessariò requiritur *l. 1. ff. de Pact.* rectè propinqua causa dicitur consen-
sus contrahentium & insuper etiam reitraditio *arg. §. 3. Inst. quib. mod.*
re contr. Oblig.

35. Consentientes seu contrahentes sunt Deponentes & Deposita-
rius, non enim satis est litigantes secum de re litigiosa apud aliquem
deponenda consensisse, nisi & is apud quem volunt rem esse depositam,
annuat & consentiat, Nam in his quæ pendent ex consensu duorum,
non inducitur perfectio, nisi utriusq; consensu concurrente, uti vide-
re in omnibus contractibus ultro citroq; obligatoriis *Gæd. in rubr.*
de seq. poss. & fruct.

36. Deponere autem & apud se sequestro deponi permittere pos-
sunt omnes, nisi qui Natura aut lege prohibentur. Recensemus pro-
hibitos, Nam si noverimus quæ istæ personæ sint, simul intelligemus, quæ
contrà nostro contractui licitè interesse possunt *arg. pr. Inst. de hujus qui*
sui vel alien. jur. Omnium enim rerum in contrarias partes cognitio, ex
iisdem suppediatur locis. *Cic.*

37. Natura autem prohibentur *Infantes*, qui hoc nomine usq; ad
annum septimum nominantur *l. 1. §. 2. ff. de admin. Et peric. tut. vel*
Cur. ratio est quia rationis non sunt capaces. *c. firmissime 15. q. 1. nec*
sentiant nec consentiant c. 3. post pr. Ext. de Baptis. *Furiosi*, qui mentis
ad omnia cæcitate rapiuntur *Cic.* ratio est, quia sensu communi carent,
nullam voluntatem habent *l. 5. §. l. 40. ff. de R. J.* nullum negotiùm
contrahere possunt, nec intelligunt quid agunt, §. 8. *Inst. de Inut. stip.* Ea-
propter per omnia & in omnibus absentis, quiescentis & dormientis
loco habentur *l. 2. §. pen. de jure Codicill. Mente capti*, quibus mens &
Consilium animi deficit, absq; tamen furore, horum enim eadem quæ
furiosorum est ratio §. 8. *Inst. de inutil. stip. §. 1. Inst. quibus non est perm.*
fac. test. Ebrj, temulenti enim nesciunt quid loquantur, sunt ignoran-
tes & intelligentiã carere videntur & ideò infantibus ac pueris imò fu-
riosis ac mortuis æquiparantur *c. sane 15. q. 1. c. venter dist. 35.*

38. Lege vero prohibentur *Servi pæna*, ideo ita dicti, quod nul-
lius nisi poenæ servi essent *l. 7. ff. de pæn.* ac hi in omni jure, verè ac sem-
per similes sunt mortuis; Alias alterius farinæ servi, licet jus sequestran-
di quidem non habeant, quia domini conditionem (possessionis com-

modum ei per Sequestrationem auferendo) deteriorare non possunt. *l. 123. ff. de R. J.* (nisi quatenus Dominus ex delictis eorum vel servis noxæ deditis carere, vel æstimationem damni dati pro eis præstare cogitur *pr. Inst. & l. 1. ff. de nox. act.*) attamen contra apud eos res litigiosa sequestrari potest *l. 1. §. 18. l. 21. in pr. ff. de pos. l. 2. ff. de fidejuss.* quia ratio quare servo sequestrandi facultas adempta, hic cessat. *Prodigii*, neq; modum neq; finem expensarum habentes post interdictam bonorum administrationem *l. 5. ff. de cur. fur. dand.* æquiparantur enim quoad contractus (secus est in delictis in quibus ut quilibet alius sanæ mentis homo puniuntur) furiosi *sol. 40. ff. de R. J. l. 6. in f. de V. O. Monachi*, cum nullum illis sit rerum dominium, & profana negotia quod attinet, pro mortuis habeantur *l. 56. in pr. C. de Epis. & Cler. c. placuit & c. sunt nonnulli 16. q. 1. Excommunicati*, isti etenim velut Sathanæ traditi dirisq; devoti, ceu putrida membra omni, tam juris quam humanæ consuetudinis beneficio privantur *c. Exceptionem Ext. de Except. c. omnium Christianus 11. q. 3. Pupilli*, quia habent fragile iudicium, nec velle nec nolle creduntur *l. 189. ff. de R. J.* & saltem omnia tutore autotore agere possunt *l. 5. ff. d. l. quâ spectâ*, si qui cum eis contrahunt, illi obligantur quidem, at invicem pupilli non obligantur, suam enim reddere possunt conditionem meliorem, deteriore verò non utiq; *pr. & §. 1. Inst. de auct. tut.* Idem de Minoribus Curatorem habentib; asserimus *l. 3. C. de rest. in integr. l. 101. ibiq; Dd. ff. de V. O.* Casus tamen nonnulli dantur, in quibus hi duo prædicti efficaciter obligantur de quibus agit *thes. 58.* Contra autem apud hos duos rectè res sequestratur.

39. Nec illud, antequam huic membro colophonem damus, prætervolandum, quòd quemadmodum nemo suæ rei depositarius scienter esse potest, ita nec rei litigiosæ sequester. *l. 45. ff. de R. J.* Peccat itaq; Magistratus in hujus contractus substantialia, qui sub quodam prætextu fructus rei litigiosæ penes alterum ex litigantibus Sequestrandos decernit; Sequester enim non ex colligatoribus eligendus, sed tertius quispiam interveniens esse debet *l. 17. ff. de pos. c. 2. Ext. de seq. pos. & fruct.*

40. Materia sive res quæ Sequestro ponuntur, generaliter sunt litigiosæ omnes, quæcunq; deponi & sub factum tradendi, custodiamq; hominis cadere possunt, sive corporales eæ sint, quæ sua natura cerni & corporaliter tangi possunt, sive incorporales, quæ non habent ejusmodi naturam, sed animo tantùm intelliguntur; sive mobiles existant sive immobiles *l. 17. ff. de pos. l. 1. ff. Commod. c. 1. 2. 3. Ext. de sequest. pos. & fruct.*

fruct. De illis minus dubitatur, De his vero dubium est, ea propter quod ex plerorumq; Dd. asserto, res immobilis depositionem non admittat; Cui tamen errori non subscribimus, præprimis cum etiam Ord. Cam. Imp. part. 2, §. 21. §. Ob auch in obberihyren Fall/ etc. reclamet.

41. Haud tamen licitè Sequestro ponuntur res quæ commercio hominum sunt exemptæ; id enim in omni contractu locum habet, ut de iis rebus contrahere non liceat, quæ nostro dominio statim subijci non possunt, l. 38. §. 1. ff. de v. O. Hæ autem res vel Natura tales sunt vel jure & lege.

42. Natura hominum commercio sunt exemptæ, quæ in rerum natura non sunt, ut res extinctæ, velut domus incendio devastata: vel esse non possunt, ut Hyppocentaurus. Jure verò & lege non sunt in commercio hominum res Sacræ, Religiosæ & sanctæ §. 7. Inst. de R. D. & demum etiam quæ nullius sunt §. 12. Inst. d. l. Liber homo cum prædictis pari videtur gaudere privilegio; dantur tamen nonnulli casus, in quibus æquitas etiam in personis liberis Sequestrationem permittit. arg. l. 3. §. 4. de lib. Exhib. l. cum locum Ext. de Spons. & Matrim. de quib. supra.

43. Forma nostri contractus uti dictum in *ibid.* §. 8. in singulari deponendi modo & speciali fine consistit; Sequestrum enim non contrahitur, nisi res litigiosa sub conditione, ut contentione finitâ, triumphanti reddatur, sit deposita, & quidem non ab uno, sed ab utroq; litigantium, non qualibet; sed litis causa; non in partes, sed à singulis simul & semel in solidum, & quidem penes tertium aliquem vel etiam ædem sacram, vel officium publicum. Supra dicta nisi in nostro reperiantur deposito, naturam simplicis & vulgaris depositi assumit l. 1. in pr. §. apud & seq. l. 6. l. 17. ff. Depos. *ibid.* Dd.

44. Finis verò est, ut sequester rem litis gratiâ sibi commendatam bona f. custodiat, & lite finitâ, eâdem in qua accepit bonitate, restituat, ita ut si in vitis deponentibus Re tempore contractus usus fuerit, furti delictum incurrat §. 6. Inst. de oblig. qua ex del. nasc. l. 29. ff. depos.

45. Unde simul liquet, Officium (quod Sequester efficere debet, quodq; non prolubitu, sed justâ de causâ actione depositi intentatâ deponere potest l. 5. §. e. ff. depos.) in hoc præprimis consistere, ut depositum cum omnibus accessionibus diligenter custodiat §. 3. Inst. quib. mod. re contr. Ob. & generaliter ex illis ne quicquam intermittat quæ viro bono in re aliena custodienda incumbunt d. §. 3. Inst. d. t. l. 5 §. 1. ff. ut legat. & fideicom. caus. car.

46. Regulariter autem præstare tenetur dolum & latam culpam, i. e. nimiam & summam negligentiam, quando sc. faciendo aut omit- tendo non intelligit quod omnes intelligunt *l. 213. §. f. ff. de V. S. l. 223. in pr. eod.* Si igitur equo Sequestro posito, non eò quo par fuit modo, pabulum præbuerit; aut ignoraverit vinum nisi repleatur, aut frumen- tum nisi interdum moveatur, corrumpi, in lata culpa versatur, & meri- to damnum resarcire tenetur. Dd. ad *§. pen. Inst. quib. mod. re contr. Ob- lig. l. 32 ff. dep.* Et hæc ex propria natura & tacite huic contractui insunt, quæ quamvis tempore initi contractus sint omissa, tamen subintelli- guntur & pro expressis habentur *l. 3 ff. de reb. Cred.*

47. Habet insuper nonnulla, quæ ei Extrinsecus accedunt, & per conventionem saltem ad hoc negotium spectant: Ut Pacta de levissi- ma culpa præstanda *l. 1 §. 6. deposi. item de periculo præstando d. l. 1. §. 35. eod. de loco reddendi depositi l. 5. §. 1. & l. 12. ff. eod.* Mens etenim con- trahentium semper est introspectienda *l. f. C. que res pig. oblig. poss. ea- namq; dat esse contractui. l. 13. l. 27. C. de Pact. l. 27. ff. de R. J.*

48. Quia hætenus de Officio sequestris dictum, apto ordine intri- catam illam hic subnectimus quæstionem, Ecquid in Sequestrum pos- sessio rei depositæ transeat? R. Sequestrum non possidere, sed rem cu- stodiæ causâ saltem detinere, quia sequestrum est species depositi, quod fit saltem custodiæ causa. *l. 1. ff. deposi. custodia autem actum possessio- nis nullum habet, cum separata sint possessio & custodia l. 3. §. ult. ff. de acquir. vel amitt. poss.* Et secundò, ducto argumento à minori ad majus ita argumentamur; Si per missionem ex primo decreto missus non con- stituitur possessor *c. contingit Ext. de dol. & Contum. l. 12. ff. ex quibus caus. in poss. l. 5. in pr. ff. ut in poss. leg. caus.* multo minus Sequester, cum mitius cum eo agatur, cujus res ob contumaciam sequestrationem pa- titur, quam missionem. *C. ex literis. Ext. de dolo & contum. Gæd. tr. de seqq. poss. & fruct. cap. 1. n. 115. & seq.* Secus est si nominatim, ut Seque- ster possideat, actum est, quicquid enim lege & pacto in Sequestro posi- tum est, pro omisso non habendum *l. 1. §. 5. ff. depos. facit l. 9. ff. de ac- quir. poss. vide Gail. de Arrest. cap. 12. n. 10.*

49. Cùm autem nihil firmum, stabile ac perpetuum in rebus ac ne- gotiis humanis reperitur, quin tandem vel sui natura *l. 28. ff. de serv. urb. pred.* vel etiam temporis diuturnitate deficiat ac tollatur *Nov. 7. cap. 2.* utiq; & hoc naturale, nostro à sequestrationis negotio non est alienum, quòd legitime & bonâ f. factum, tandem legitime ac bonâ fide

fide quoq; finiatur, Quando enim contractus fuit bonæ fidei, ejus quoque resolutio talis existat necesse est *l. 58. ff. de Pact. l. 35. ff. de R. J.*

50. Finitur itaq;, seu (quod Practicis familiarius est) relaxatur sequestrum voluntarium Primò Mutuo partium consensu, nam omnis res per quascunq; causas nascitur, per easdem rursus dissolvitur. *c. 1. Ext. de R. J. §. f. Inst. quib. mod. toll. oblig.* II. Diei adventu *l. 5. §. 2. ff. de pos.* III. litis determinatione seu sententiâ, à qua intra decendium appellatum non est *Aus. bodie C. de Appellat.* adeoq; in rem judicaram transivit *l. f. §. 4. C. de temp. appell.* IV. Morte sequestris, Mors enim omnia solvit V. Sequestris justâ de causâ renunciatione, *l. 5. §. 2. ff. de pos.* Et deniq; VI. si à judice iniquè & sine legitima causa sit impetratum, tum enim officio judicis nobili implorato irritum redditur: Quæ enim à judice ad ejus officium non spectantia fiunt, vires suas exerere non debent *c. ea qua. de R. J. in 6. l. 170. ff. eod.* Et qui facit quod facere non debet, contra id fecisse videtur quod facere licuit *l. 221. l. 174. ff. eod.*

51. Ex positis finiendi modis, etiam judiciali Sequestrationi nonnulli competunt; quibus superadde alios duos, nempe I. Sufficien-tem Satisfactionem, quæ fit per fidejussores aut etiam per pignora *l. 59. §. f. ff. Mand. l. 4. §. 8. ff. de fideicom. lib.* Si autem propter inopiam quis pignora dare, aut ob aliud obstaculum fidejussores invenire non potest, tum dicimus (quia nemo ad impossibilia obligandus *l. 145. ff. de R. J. Auth. generaliter. C. de Episc. & Cler.*) etiam juratoriam cautionem rem Sequestro positam à sequestratione liberare posse, adjunctâ tamen hac cautelâ, ut persona impetrans sit honesta & pro arbitrio judicantis fide digna, secus si læsæ est existimationis; Tum enim ad sequestri relaxatio- nem juratoria cautio non admittitur *Myns. 1. Obs. 11. Gail. 1. Obs. 148. n. 6. & seq.* Et II. Judicis decretum: Quemadmodum enim judiciale Sequestrum judicis officio constituitur, ita quoq; ejus abolitio & rescis- sio eodem modo fieri debet *arg. l. 58. ff. de Pact. l. 35. ff. de R. J.*

52. Propria ergò autoritate alter ex partibus rem Sequestro posi- tam occupare non potest, Æquissimum enim Prætori visum est unum- quemq; non sibi ipsi jus dicere *l. 1. §. 2. ff. quod legator.* nam alias judi- ciorum vigor, jurisq; publici tutela frustra in medio esset posita & Sedi- tionis, quâ in Repub. nihil est perniciosius, fores panderentur *l. pen. ff. ad L. Corn. de sicar.* Hinc jura violentam rerum occupationem oderunt, ut, si fortè quis rem sibi debitam, aut etiam propriam, apud alium tamen

con-

constitutam, propria auctoritate, possidere præsumserit: Præterquam enim quod jus crediti dominiumq; rei amittit *l. 13. ff. quod met. caus. l. 7. C. unde vi. c. non placuit. 16. q. 7.* etiam quandoq; velut turbator publicæ pacis & tranquillitatis capite punitur *l. f. ff. de re milit.* Hic simul obiter, non tamen sine causa, placet defendere *Legatarium propria auctoritate, contra voluntatem hæredis & in scio Magistratu legatum occupantem, omni suo jure cadere.*

53. Effectus Sequestrationis est constituere duas actiones, puta Sequestrariam Directam (quæ interdum actio depositi dicitur *l. 5. §. 1. l. 12. §. 2. ff. de pos.*) & contrariam.

54. Directa Sequestraria actio est in personam *l. 5. in pr. & §. 1. l. 12. §. 2. ff. de pos. l. 7. ff. de Pact.* Et quia ex contractu bonæ fidei profluit, merito fonti annumeratur *l. 1. §. 32. l. 28. ff. de pos. §. 28. Inst. de act.* Cumq; id quod ex patrimonio nobis abest, hac actione petamus, rectè etiam dicitur rei persecutoria *§. 17. Inst. de act. l. 35. ff. de O. & A.* & insuper etiam perpetua & ad hæredes transitoria, quia ex lege proficiscitur, seu quod idem, Civilis est *arg. pr. Inst. de perpet. & temp. act. d. l. 12. §. 2. ff. de pos.* deniq; famolis actionibus etiam congruè annectitur *§. 2. Inst. de pen. rem. litig. l. 6. §. ult. ff. de his qui not. infam. l. 10. C. de pos.*

55. Quia verò Contrariæ actiones Directis opponuntur *arg. l. 17. §. 1. ff. Commod.* Contrariorum autem eadem est disciplina *l. 1. de his qui sui vel al. jur. ita ut cognito uno ex contrariis cognoscatur & aliud l. 34. in pr. ff. de vulg. & pup. subst. eadem ferè (non enim est famola l. 6. §. 7. ff. de his qui not. infam.)* quæ de directa diximus, de contrariâ quoq; actione Sequestraria affirmamus,

56. Directa porrò competit omnibus & singulis rem litigiosam deponentibus, tam patri quam filiof. *l. 19. ff. de pos. l. 18. §. 1. vers. unde ff. de judic. l. 9. ff. de O. & A. tam hæredibus l. 1. §. 29. & §. pen. ff. de pos.* quàm bonorum possessoribus, omnibusq; aliis successorib. etiam iis quibus ex Scto Trebelliano hæreditas est restituta *l. 1. §. 19. ff. de pos. aut etiam ei cui deponentes rem restitui volunt l. 26. ff. de pos. imò furi & Prædoni l. 1. §. 39. l. 31. §. 2. ff. de pos.*

57. Et hæc directa datur adversus omnes, qui ad obeundam hanc functionem idonei visi fuere, consensusq; præbuere, etiam pro portione hæreditaria adversus horum hæredes *l. 2. C. de hæred. act. l. 6. C. fam. Erisic. in solidum verò si fuerint in dolo aut res sit individua l. 9. & 22. ff. de pos.*

ff. depos. Item contra pupillum doli capacem ob admissum dolum in solidum, dolo verò carentem in quantum locupletior est factus *l. 1. §. 15. ff. depos.* Contra tertium depositarium si actio sit cessia *l. 16. ff. eod.* Contra eum qui fortè jussit suo periculo & nomine apud aliquem deponi *l. 1. §. 14. ff. eod.* Deniq; etiam contra Sequestris fidejussorem *l. 1. §. 14. vers. planè. ff. depos.* Et quidem ita contra hos datur, ut prorsus nulla Compensatio, Deductio & doli exceptio opponi possit *§. 30. Inst. de act. l. 11. C. depos. l. ult. C. de Compens. c. bona fides Ext depos. l. 14 §. 2. C. de Non numer. pecun.* Quia verò Expenfarum magnus in jure est favor, Æquitas (quæ omni juri inesse debet, *Cujas. ad l. 1. pr. ff. de J. & J.*) jubet, ob impensas necessarias in rem Sequestro positam factas, Retentionem admittere *arg. l. 8. pr. ff. de pign. act. l. 5. pr. ff. de impens. in res dot. fact.*

58. Datur autem litiganti ad extorquendas rationes, & ad rem sequestro positam & à lite jam vacuam, cum omni causa i. e. fructibus, commodo & utilitatibus persequendam *l. 1. §. 27. cum seqq. & passim ff. depos. l. 3. §. 1. ff. Commod. l. 32. §. 10. ff. de Usur.* Usuræ tamen peti haud possunt, nisi post moram, uti mos est etiam in cæteris bonæ fidei judiciis *l. 24. & 25. ff. depos. l. 2. & 4. C. eod. l. 32. §. 2. ff. de Usur.*

59. Tantum de Directa. De Contraria actione Sequestraria brevibus dicimus, eam Sequstri concessam adversus partes Sequestrantes ad necessarias impensas, in rem Sequestro positam factas; & omne præterea damnum, quod vel ab ipsa re, vel ratione ejus ipsi illatum, & ex suo patrimonio abesse cæpit. *l. 5. ff. depos.* Idq; rectè, quia nemini officium suum debet esse damnosum *l. 7. ff. quemadm. rest. aper.* Cùm etiam aliàs juris nostri ratio omnes damni inferendi vias tollat, ac totam hominum vitam in æquitate ac justitia regat *§. 1. de Concept. digest.* & quemlibet indefinitem præstandum asserat *c. 2. Ext. de fidej.* Hancq; ob causam interesse Jure Divino *Exod. 22. vers. 5. & 6. 21. vers. 22. 26. 33. 34.* Naturali *l. 14. ff. de Cond. indeb.* Canonico *c. 2 & 3. Ext. de fidej.* Et Civili rectè exigitur *l. 1. & 13. ff. act. empt. & vend.*

60. Partes itaq; Sequestrantes non saltem ob dolum & latam culpam, ut aliàs regulariter Sequester, sed etiam ob culpam tenentur legitimam, Rationem diversitatis agnoscimus hanc, quia saltem ipso-

C


1111


rum, non verò Sequestris gratià hic contractus celebratur. Quare si servus litigiosus sequestro positus, furtum sequestri fecerit, sequestrantes ad damnum hoc refundendum astringuntur *l. 61. §. 1. ff. de furt.*


61. Deniq; licet sequester salarium & redhostimentum præstitæ operæ in re custodienda expectare & accipere possit (quod interdum, abusive pretium dicitur *in l. 2. §. 24. ff. vi bon. rapt.*) attamen supra dictâ suâ actione, frustra id ipsam petit; quia quemadmodum depositum regulariter debet esse gratuitum, ita & depositi species Sequestrum, *d. l. 1. §. 1. & seq. ff. de pos. §. ult. Inst. Mand.* Habet enim ex officio, & charitate originem: nihil verò tam esse contrarium officio quam mercedem & pecuniam docet *l. 1. §. f. ff. Mand.*

62. Et hæc quidem hæc hactenus: Addenda essent nonnulla de Appellatorio juvamine; Num sc: à Sequestratione appellari (quod salvâ explanatione affirmamus) Item, quando per viam Nullitatis concessa Sequestratio impugnari possit; Verùm enim verò Sancta amplissima Facultatis Juridicæ Sanctio, quam violare nec volo nec audeo, hîc telam abrumpere jubet.

Tibi ergò Sanctissimæ TRIADI, cui meritò cursum studiorum meorum acceptum fero sublatis in cælum manibus ago gratias, ex imo pectore rogans, ut me Spiritu veritatis imbuere, veram Justitiæ semitam docere, nostrisq; laboribus imposterum benedicere digneris, Tibi enim vitam studia & omnes actiones quibus possum commendo preculis.







the scale towards document

contractuum est jus Gentium §. 2. *Inst. de J. N.G.*
in omnibus contractibus, consensus partium ne-
cessarius est. *1. ff. de Pact.* rectè propinqua causa dicitur consen-
& insuper etiam rei traditio *arg. §. 3. Inst. quib. mod.*

tes seu contrahentes sunt Deponentes & Deposita-
res, est litigantes secum de re litigiola apud aliquem,
esse, nisi & is apud quem volunt rem esse depositam,
est, Nam in his quæ pendent ex consensu duorum,
traditio, nisi utriusq; consensu concurrente, uti vide-
tur in contractibus ultro citroq; obligatoriis *Gæd. in rubr.*

utem & apud se sequestro deponi permittere pos-
sunt, si Natura aut lege prohibentur. Recensebimus pro-
ximè quæ istæ personæ sint, simul intelligemus, quæ
actui licitè interesse possunt *arg. pr. Inst. de hi qui*
in eorum enim rerum in contrarias partes cognitio, ex
locis. *Cic.*

Interdum prohibentur *Infantes*, qui hoc nomine usq; ad
pubertatem dominantur *l. 1. §. 2. ff. de admin. & peric. tut. vel*
tutationis non sunt capaces. *c. firmissime 15. q. 1. nec*
sciunt *c. 3. post pr. Ext. de Baptis.* *Furiosi*, qui mentis
privantur *Cic.* ratio est, quia sensu communi carent,
non habent *l. 5. & l. 40. ff. de R. J.* nullum negotium
intelligunt quid agunt, §. 8. *Inst. de Inut. stip.* Ea-
dem in omnibus absentis, quiescentis & dormientis
pen. *de jure Codicil.* *Mente capti*, quibus mens &
destitit, absq; tamen furore, horum enim eadem quæ
§. 8. *Inst. de inutil. stip.* §. 1. *Inst. quibus non est perm.*
tenti enim nesciunt quid loquantur, sunt ignoran-
tes videntur & ideo infantibus ac pueris imò su-
perantur *c. sane 15. q. 1. c. venter dist. 35.*

prohibentur *Servi pæna*, ideo ita dicti, quod nul-
lus est *l. 7. ff. de pen.* ac hi in omni jure, verè ac sem-
per, quia domini conditionem (possessionis com-
modum

B 2

modum